



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 138. Transitus Cæsari in Italiam eunti a Venetis denegatur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. CXXXVIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1507.*Transitus Cæsari in Italiam eunti a Venetis denegatus.*

Ceterum Galliarum Rege brevi in Franciam redeunte disparuit timor, quem Papa Cæsari, ut eum in Gallos concitaret, incusserat, Maximilianus tamen cum jamjam cum exercitu octo millium equitum, peditumque viginti duorum millium iter agere cæpisset, illud profecutus est, atque mutata prima itineris ratione divulgavit, non bellandi animo se Italiam ingredi, sed id haud alio ex consilio fieri, quam ut pro more suorum Prædecessorum, atque Imperatorum coronam de Pontificis manu acciperet. Veneti, cum rem penitiori oculo inspicerent, specioso hoc obtentu sese decipi haud patiebantur. Hinc postquam Cæsar, missis ad eos Legatis, transeundi copiam postulasset, simulque eos ad armorum societatem contra Gallos invitasset, illi transitum omnino denegantes, responderunt, ad accipiendam coronam, quam a Pontifice lubenter concedi compertum esset, non requiri comitatum plusquam triginta armatorum millibus validum. Aliunde Franciæ Legati Venetos ad hanc repulsam incitabant; hi enim illis suggerebant, inde Italiæ pacem dependere, si vero Cæsari

sari

Sæcul. XVI. A.C. 1507. sari transitum concederent, abs dubio ipsum Ludovicum cum toto exercitus sui robore in Italiam petiturum, ut sese Maximiliano opponeret. Porro Cæsar Venetorum pertinacia tantopere offendebatur, ut eodem temporis puncto injuriam ulcisci decerneret.

§. CXXXIX.

Imperatoris bellum in Italia adversus Gallos & Venetos.

Ceterum Cæsaris arma non adeo crebris inclarescebant victoriis (*) Helve-

(*) Abs dubia Lector a partium studio alienus ad nauseam usque persæpe observavit, Continuatores, quoties de augustissima Domo Austriaca mentio occurrit, semper intentum esse, ut pia Cæsaris consilia fallacibus artibus adscriberet, pecuniarum inopiam exprobraret, bellicos eorum conatus velut bruta fulmina exploderet, præclare ab eis gesta vel silentio premeret, vel neglectim nec sine contemptu referret, ac sexcentis aliis modis Cæsareæ Majestatis auctoritatem diminueret, Et hæc quidem nullo alio legato Auctore, quin imo penitus contraria recensentibus rerum Austriacarum Scriptoribus, quod, si instituti mei ratio permitteret, nullo negotio comprobare possem. Sufficit autem hæc in rem ipsius Continuatores antilogias animadvertere.